



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De militibus templi, quos pagani videre non potuerunt du[m] horas suas
dicerent, cap. 47.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

DE DIVERSIS VISIONIBVS

qui Ströberg dicitur, in quo memoria est Petri principis Apostolorum, alis extensis volare conspexit. Eodem tempore homo quidam, Theodericus nomine, de villa proxima cum vxore ad ecclesiam properans, de prædicto monte capsellam cum reliquijs, quam sæpe viderat, super Strömberg per aërem duci vidit: ambo illam viderunt, & vsque hodie testes sunt ambo tantæ visionis; si mihi minus credis, interroga dominum Wilhelmum sacerdotem in Strömberg, qui se ab ore illorum, qui hæc viderunt, audiuisse testatur, & dicet tibi: Habebat enim & adhuc habet sanctus Archangelus in Gudinsberg, vel, vt alij dicunt, in * Wudinsberg, Ecclesiam nomini suo consecratam, & cum esset mons idem fortis satis, & ad munimen prouincie bene situs, nullus tamen in eo castrum ædificare præsumpsit, quia hoc non posse fieri, ob prædictam memoriam, ab incolis referebatur: prædictus verò Theodericus, huiusmodi verba non attendens, & castrum in eo ædificans, antequam muros eius perfecisset, depositus est. Nec miror, si ab eodem castro angelica recesserunt subsidia, cuius omnia ædificia penè ex vsuris cuiusdam Iudæi, quem præfatus Episcopus ceperat, sunt constructa. Quam potenter S. Michael electorum animas in exitu ab inimicis defendat, audies in distinctione xij. capitulo quinto. Non solum beatus Michael cum cæteris cœlestis militiae exercitijs fideles protegit cum moriuntur, sed etiam in præfenti ab hostibus visibilibus.

CAPVT XLVII.

*Angeli
homines
protegit
etiam ab
hostibus
visibili-
bus.*

Non est diu, quod sex milites templi in vicinia Saracenorum horam quandam canonicam prostrati dicebāt, ex inopinato paganis superuenientibus, cum illi surgere vellent & fugere, magister eis innuit vt iacèrent. Mira res, vt rex cœlestis ostenderet, quātum ei magistri fides, & discipulorum obedientia placeret, angelos suos misit, à quibus infidelium turba turbata est, quidam capti, & plures occisi, cumq; eos, quos angeli vinxerāt, templarij comprehendissent, & illi dicerent: *Ybi est exercitus, quem dudum*

Quidam vidimus, a quo capti sumus & occisi? responderunt: Quando necesse habemus, veniunt nobis in auxilium, quando non indigemus, reuertuntur in tabernacula sua. Intellexerat enim sanctos angelos illos fuisse, quos ipsi videre non potuerunt, qui laudatibus Deum semper adsunt, ipsosq; custodiunt. Ipsi reuera sunt castra Dei, qui Iacob cum timore reuertenti in terram suam venerunt in auxilium; fueruntq; ei, ut dicit scriptura, obuiam Angeli Dei: quos cum vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc. Hoc miraculum cum recitatum fuisset regi Philippo in castris, cum rediret de obsidione Colonia, respondit: Certe si habuissem, Legem pone, in ore, ego psalmum reliquisset & fugissem. Hæc dicta sunt de visionibus Angelorum. Porro de visionibus Patriarcharum, atq; Prophetarum pauca dicere habeo, quia rariùs sanctis noui testamenti apparent. **A P O L L O N I V S:** Que sit causa illius raritatis, qui etiam fuerunt Patriarchæ, qui Prophetæ, & quare sic dicti, precor ut edisseras: deinde si quas nosti visiones, de illis subjungas. **CÆSARIVS:** Quanto breuiùs potero, de requisitis te expediam.

Gen. 38.

Psal. 118.

CAPVT XLVIII.

Patriarchæ sunt viri iusti & gloriosi, cum quibus locutus est Deus, Abraham scilicet, Isaac & Iacob, & alij quam plures, qui illos tempore & præcedebant & subsequabantur. Dicuntur autem Patriarchæ, quasi patrum principes, eo quod alijs facti sint via rectè credendi, & norma bene viuendi. Horum successores, extiterunt Prophetæ, & ipsi viri magni & incliti, qui Christi sacramenta, & ecclesiæ, & si qua alia futura erant, tam perspicuè præuiderunt & prædixerunt, ac si oculis eorum corporeis fuissent objecta: vnde quidam illorum dicebat: Non faciet Dominus verbum super terram, quod non priùs reuelet seruis suis prophetis. Prophetæ fuerunt Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, & duodecim prophetæ, qui etiã ea, quæ præuiderunt, vel prædixerunt, scripto perpetuauerunt. Vnde Prophetæ dicti sunt Videntes, vel significantiùs Prophetæ dicuntur, quasi præfatores, vel quasi procul

De Pa-
triarchis
& Pro-
pheta.

Amos 9.